



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

[Præfatio.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

TRACTATUS QUINTUS

DE POENITENTIA.

Ad quæstionem 85. D. Thomæ, & alias sequentes.

PRÆFATIO.



A est (AMICE LECTOR.) humana nature corruptio propagata infirmitas, & in scelera omnia, quibus pena sua gine destinatur, proclivitas; ut pluribus remediis egat, ut uno duntaxat, aut sanitatem recuperet, aut recuperatam tuatur. Curatur equidem genialis morbus celesti laqueo, & re-vocatur unius Parentis noxa perdita salus: Sed non adeo integra curatio fit, nec ita pristina valetudo redit, ut non veteris morbi, & qui intima quæque, medullas, fibrasque pervaserat, reliqua pluraque persint; animi languor, effrenis in bonum sensibile, & sapius rationi adversum, promptas, impetus, & ardor, quibus iterum in infirmitates relabimur, eo gravioribus, quod prima succedant, & iis omnibus partibus, in quibus patere poterat vulneri locus, naturam vulneratam in-veniant. Condoletur equidem, cum in sortem filiorum, regeneratam laqueo cooptamur, injuria olim in Deum admissa, unius crimine quo posterorum voluntates regebantur: sed iterum injuriis, sceleribusque Deum provocamus, eo magis ferendis, quod jam amantissimum Patrem petant, à quo est servorum & mancipiorum infima sorte, ad statum juraque liberorum fueramus pro-vecti. Sacri equidem Baptismatis unda, velut aurea clavis, feliciorum quam innocenti Adamo concessa fuisse, paradysum aperit, tribuitque jus adeundi hereditatem, & celeste regnum ipsa adoptione debitum: Sed iterum novis criminibus felicitas hujus terræ, delictisque plenissima, viam in æternos ignes deturbandi nobis ostendimus. Demum in Baptismo fructu natus tabula è naufragio e-vasuris relicta fuerat, post dissipatam innocentiam natum, non regiam sanè quandiu felix status viguit; securam etiam, nisi clavum Adamus ultro abjecisset: sed in media pericula, mediosque tortices, iterum certo naufragio periturus, sponte cæci, precipites imus.

Non puto (AMICE LECTOR) te miraturum, si unicum hominis peccatum, tot nominibus nuncupem; tot enim sceditatibus deforme est, tot malis naturam infectum, ut uno duntaxat nomine, minimè describi possit, & merito animi morbus, & sublimi filiorum statu, & adoptione prolapsio, è paradiso in exilium ejectio, certumque naufragium dici possit. Sed quod erit tandem his ingentibus hominum malis morbo, servituri, exilio, naufragio, paratum remedium? Sane non aliud, præter unam poenitentiam, quæ in pristinam sanitatem, Dei amicitiam, filiorum libertatem, jus regni, & spem salutis re-vocatur. Quid enim aliud esse putes poenitentiam, quam probaticam piscinam, veterique meliorem, qua totius naturæ morbi sanentur; aut patentem non domui Jacob, sed toti Ecclesie, toti que humano generi, in ablutionem sceleris fontem? Poenitentia, si Tertulliano credas, integra est injurie divina, & læsi divini juris reparatio; siquidem in peccatorem pronuntians, pro indignatione Dei fungitur, & exosum antea Deo hominem, con-

P R Æ F A T I O.

nino in gratiam re-vocat: cū enim provolvit hominem, magis relevat; cū squalidum facit, magis mundatum reddit; cū accusat, excusat; cū condemnat, absolvit. Ea est pœnitentia vis: ut unicâ lacrymâ hominis, quem suorum scelerum recordatio, & dolor pungit, & qui lacrymas velut legatos supplices, suæ reconciliationis negotium pertracturos mittit, ut cum Cypriano loquar; vel unâ Christi sanguinis guttâ, quem sacramentum copiosè effundit, gehennæ ignem omnem extinguat, & temporali afflictione (ut Tertullianus dixit) æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat; reparetque ad Dei gloriam, velut indemne, ut vocat D. Ephrem, Dei marsupium, quod hominum animas ne pereant tuctur. Denique non immeritò pœnitentiam, secundam post naufragium tabulam Hieronymus nuncupat, quâ hinc inde jactatis fluctibus, spei & timoris, condonate injuria, vel denegate venia, inter medias procellas, inter scopulos ad patriâ portum tendimus: hæc enim, ut inquit iterum Tertullianus, peccatorum fluctibusmersum prolevat, & in portum divinæ clementiæ protelat.

Sed non gravabor referre plura, nec tu molestè feres (AMICE LECTOR) si in hujus sacramenti virtutisque pœnitentiæ laudes, quæ habet Chrysostomus serm. de pœnit. hic scribam. Opœnitentia, quæ peccata Deo miserante remittis, & paradisum referas, contritum sanas, omnem tristitiam exhilaras, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam das, vires reformas, gratiam abundantiorē refundis. Omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu custodis, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. Per te, ô pœnitentia, David afflictus, vel contritus, factus est sanctus. Per te filius prodigus, paternum amplexum meruit. Per te Petrus, postquam ter Dominum negavit, indulgentiam recepit. Per te, ô pœnitentia, latronem subitò Christus ad regnum æternum rapuit.

Hæc ad manum habui, quæ in hujus tractationis initio de pœnitentia tum ut virtute, tum ut sacramento, præfationis loco scriberem. De cæteris, methodo, ordine Authore, nihil dico. Vnum tamen moneo, Angelicum Præceptorem ad quæstionem duntaxat nonagesimam hujus tertiæ partis pervenisse. Hanc enim cū absolvisset Sanctissimus Vir, labori vitæque finem imposuit, & prematura morte occupatus, terras cum cælis commutavit. Reliquit equidem non absolutam suorum omnium studiorum summam: sed quid putas (AMICE LECTOR?) Felicius vivebat, quam scriberet, & citius virtutis, quam studiorum spatia decurrat. Absoluta suis numeris prius vita, quam Summa fuit, & jam matura cæloque digna sanctitas, reliquum Summæ Ecclesiæ invidit, & maluit tantum opus ab Ecclesiâ desiderari, quam sanctissimo Viro sua præmia differri.

